



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

18 An actu, qui sit peccatum possit legi, vel præcepto satisfieri?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

atque adeo ex vi illius te non esse obligatum mutare voluntatem: at oblat præcepto diuino, quo tibi prohibetur notitio non implendi Ecclesiasticum præceptum quapropter debes ab illa voluntate cessare & ita docet Suarez illo lib. 4. cap. 26. num. 11. & 12. Salas de leg. disp. 9. sect. 2. num. 33. Bonacina disp. 1. q. 1. p. 1. 10. sine Sanch. lib. 1. cap. 13. num. 14. Ex quo patet solutio ad illam interrogationem, an scilicet peccatum committas audiens Missam, vel recitas horas intentione non satisfaciendi. si enim nulla alia Missa tibi recitaretur audienda, neque tempus, in quo iterum posses horas canonicas recitare, sine dubio peccares non quidem in re, sed in affectu: quia scilicet affectum habes non satisfaciendi præcepto Ecclesiastico: at si recitaret alia Missa & tempus superesset iterum recitandi, & haberes voluntatem audiendi illam Missam, & iterum horas recitandi nullum peccatum committis: & ita tenet Suarez supra, & Sanchez num. 14. & 15.

14. Neque obstant argumenta pro prima sententia.

Ad primum dico, præcepti satisfactionem, qua talis est libertatem esse debere: neque huic libertati obstat, notitio satisfaciendi præcepto procedens ex ignorantia, si de facto datur absoluta libertas exequendi quicquid præceptum est.

Ad secundum concedo actum non operari ultra intentionem agentis, sed quando voluntatem habes audiendi Missam, & non satisfaciendi præcepto duplicem voluntatem habes, aliam inefficacem non satisfaciendi; & quæ ex ignorantia procedit, aliam efficacem satisfaciendi: in concursu autem huius duplicis, voluntatis vincit voluntas efficax, vt potest principalior.

Secundo respondeo actum non operari ultra intentionem agentis, quando ab ipso pendet actus & effectus: at satisfacere præcepto si semel exquiras, quicquid tibi præceptum est, non est in tua potestate.

Ad tertium concedo executionem præcepti esse executionem rei debitæ, non tamen esse necessarium, vt à se procedat formaliter, vt debita, quia præceptum non obligat, vt formaliter intentionem obediendi habeas, sufficit, si à te procedat, quæ debita est, & licet illa actio numero absolute non sit debita quia tamen prima est ideo debita est. Huius modo operandi non obstat affectus ille tuus inefficax non satisfaciendi præcepto, tunc quia procedit ex ignorantia qua credis non satisfacere: tunc & præcipue, quia non desistit esse tunc efficacem ponendi quicquid tibi mandatum est. Eodem modo Deus acceptat illud opus acceptum, inquam illud opus tanquam debitum; & sic in te executionem & non tamen tanquam debitum in tuo affectu inefficax.

Ad confirmationem de Missa debita ex voto & iuramento responderet Suarez lib. 4. de horis canonicis c. 2. n. 9. Si audias voluntatem non satisfaciendi voto, sed intendas aliam Missam audire, vt voto satisfacias ita te prorogare votum vel nouum votum facere, quia cum obligatio voti à te dependat, potes pro libito illam tibi de nouo imponere: at obligatio præcepti Ecclesiastici cum à superioris voluntate oriatur neque in tua potestate sit illam prorogare: si semel illi satisfecisti nihil manet satisfaciendum: & hoc est probabile, sed probabilius est, quod dicit Sanch. lib. 1. in Decal. cap. 13. sine num. 18. te integrè satisfecisse voto quantumuis habeas intentionem alio opere satisfaciendi, quia verè pietas quicquid vultis, neque tu cum illam voluntatem habes non satisfaciendi voto per illud opus, intendis de nouo venire tibi possis, sed solum intendis priori voto per aliud opus à te faciendum satisfacere. Ergo si iam satisfecisti, nihil est tibi satisfaciendum.

Ad exemplum de penitentia intincha distingui potest vel offers Missam pro amico, vel in tuorum peccatorum satisfactionem. Si in tuorum peccatorum satisfactionem, etiam si non habeas animum satisfaciendi obligationi tibi imposta integrè satisfacis, quia effectus quicquid tibi est mandatum, & ita docet Sanch. num. 17. At si in satisfactionem peccatorum amici offeras, videris non satisfacere, quia non præstas, quicquid tibi mandatum est: tibi enim non solum mandatum est Missam audire, sed audire in satisfactionem tuorum peccatorum quia pro tuis, & non pro alterius peccatis Missa in penitentiam intincha est. Verum si Confessarius exprèsse tibi non præcepit pro tuis, & peccatis Missam offerri, sed absolute Missam intinchi in penitentiam, existimo esse satis probabile te satisfacere præcepto penitentiae audiendo Missam: quantumuis pro amico offeras, quia effectus quicquid tibi mandatum est. Offerre autem pro tuis peccatis non inuoluitur in penitentiam, nam licet pro tuis peccatis opus penale sit intinchatum, poterat intinchi vt illud pro animabus purgatorum offerret, item aliud est finis præcepti aliud res præcepta. Fateor, inquam, penitentiam intinchi, vt tuis peccatis satisfacias, non tamen satisfactionem tuorum peccatorum cadere sub præcepto, quia non est materia præcepti, sed finis præcepti alias si in statu mortalis peccati penitentiam adimpleres, præcepto non censeberis satisfacisse: quod est contra communem sententiam.

Ad exemplum de debito iam dictum est in superiori difficultate non exingui liberali donatione, quia ex debito non debetur donatio, sed solutio.

Ad vltimum. Concedo leges obligare subditos, vt illis satisfaciant, & consequenter, vt habeant voluntatem satisfaciendi quam tamen habet quicumque rem præceptam exequitur, etiam ex ignorantia ipse credat non habere.

P V N C T U M XVIII.

An actu, qui sit peccatum, possit legi, vel præcepto satisfieri.

1. Proponitur dubitandi ratio.
2. Opere ex se bono, vitioso tamen aliqua circumstantia satisfieri præcepto potest.
3. Satisfit rationi dubitandi.
4. Si ex voto, aut penitentia tenearis Missam audire, vel elemosynam facere & ex fine vanitatis hoc præstet voto, & penitentia satisfaciis.

Ratio dubitandi est quia omne præceptum est de opere bono. Ergo vt fiat satis opus bonum debet exequi, quia debet exequi opus, quod est imperatum. Ergo non potest fieri ei satis opere malo, quia opus malum non est imperatum. Neque obstat si dicas præcepto satisfieri debere opere bono ex se, non tamen est necessarium esse bonum ex circumstantiis: auditio enim Missæ & largitio elemosynæ bona sunt illique videtur præcepto Missæ & elemosynæ satisfieri, & tamen ob prauium finem vitiosum, Non inquam, obstat, quia si opus externum prauo fine vitiosum, absolute vitiosum est, & peccatum; sed de peccato nunquam est præceptum. Ergo illa auditio Missæ & elemosyna non fit satis præcepto, quia non est opus præceptum. Et confirmari potest ex regulis. & extrinsecis, de regulis, ubi dicitur qui ex timore facit præceptum, aliter quàm debeat, facit, & ideo iam non facit. Ergo à fortiori non facit præceptum, qui malo fine facit.

Secundo confitio ex l. non dubium, C. de legib. & l. contra legem ff. de iur. ubi dicitur, is in legem delinquit, qui legi verba amplectens contra legis spiritum voluntatem, & intentionem. Sed finis omnis legis est facere subditos bonos, & Deo obsequentes, qui sibi oblat manifestè actus vitiosus etiam ex circumstantia extrinseca. Ergo tenet Anton. 2. part. tit. 9. cap. 1. o. 2. ubi dicit non satisfacere præcepto audiendi Missam, qui accedunt ad Ecclesiam, vt videant, vel videantur ab amatoribus suis, sed debent (aut) accedere ad orandum, & tunc à se remouere debent cogitationes temporales ad Deum orandum consentit Maior in 4. disp. 1. q. 3. paulo post primo. Adrian. 4. ubi de confessione. q. 1. dub. 4. Cathulian. 1. dist. 1. q. 2. & 2. dist. 17. q. 1.

2. Nihilominus tenenda est vt cetera communis sententia opere, inquam ex se bono vitioso tamen ex fine vel ex alia circumstantia extrinseca fieri satis posse præcepto humano quia præceptum humanum solum imperat actus substantiam non modum, qui necessarius non est ad eius exteriorum honestatem. Tum quia actus sic factus pertinet sufficienter ad cultum Dei extrinsecum, & ad rectam Ecclesiam & reipublicam gubernationem: modus autem alius operandi extrinsecus, etiam maxime sic interior, per accidens est operi præcepto, & forte extra humanam iurisdictionem. Ergo quicumque ille sit, obstat non potest executioni operis præcepti.

Dixi legem & præceptum imperare actus substantiam non modum qui non sit necessarius ad substantiam actus præcepti, nam aliquando aliquis modus pertinet ad substantiam præcepti, & tunc non solum res extrinseca per se, sed vitiosa illo modo mandatur. Exempli causa, mandatur alicui recitatio horarum, consequenter mandatur intentio eolendi Deum, & attentio requiritur ad orationem, quia sine hac intentione, & attentione, non est recitatio, quæ vera sit vt benedicit Suarez tom. 2. de relig. lib. 4. c. 26. Item mandatur alicui sacramentum confessionis recipere simul mandatur intentionem habere illud recipiendi dolorem de peccatis confessis, quia sine his non recipit sacramentum. Aliquando vero modus est extrinsecus operi præcepto. Verbi gratia præcepto audiendi Missam, dandi elemosynam communicandi, extrinsecus est finis vana gloria. Quocirca si ob vanam gloriam vel turpem amorem audias sacrum, elemosynam tribuas communicas satisfaciis præcepto quia rem præceptam exequeris. Non enim ex vi talis præcepti illius finis adiunctus prohibetur sed aliunde & ita tenet Nauarr. cap. 22. 7. & in enchirid. de orat. c. 20. n. 2. 9. Almain. dist. 18. quæst. unica circa finem Soto lib. 2. de iust. quæst. 3. art. 9. & 4. dist. 13. q. 2. art. 1. in fine Suarez lib. 2. de legib. cap. 1. 9. n. 6. Sanchez lib. 1. in Decalog. cap. 1. 4. nu. 1. Azor tom. 1. lib. 7. cap. 6. q. 1. Couarr. cap. alma mater 1. part. §. 5. num. 1. v. sic. præter huc Bonacina disp. 1. de legibus, q. 1. p. 1. 1. & seq.

3. Neque obstat ratio dubitandi. Fateor inquam auditio Missæ & elemosynam ob finem prauum vitiosam esse sed non esse vitiosam intinsecè sed extrinsecè: vitium autem extrinsecum non obstat præcepto satisfaciendi quia non obstat quominus auditio Missæ & elemosyna de se bona sit quæ solum est materia præcepti.

Ad

Ad confirmationem ex reg. iur. 8. dico facientem ex timore preceptum, aliis non facturus, non implere preceptum in affectu, & quoad Deum, bene tamen in effectu, & quoad Ecclesiam.

Ad illas vero leges respondeo cum D. Thom. relato à Sanchez *num. 4.* & à Suarez *lib. 3. de legibus. cap. 20. numero 3.* duplicem esse voluntatem, seu intentionem legislatoris, aliam de re precepta, aliam de fine obtinendo per preceptum. Præde re intentio, & voluntas est forma intrinseca legis, & idem qui aduersus illam procedit, peccat in legem. Secunda vero est extrinseca, & idem peccans in illam non censetur legem transgredi.

4 Ex his inferitur, si ex penitentia, voto, aut iuramento obligatus sis, elemosynam facere, vel Missam audire, & ob vanam gloriam hæc præstes. te satisfacere voto, iuramento, & penitentia, quia hæc omnia obligant instar cuiusdam legis, & precepti, & de penitentia docet Suarez *4. tom. in 3. p. disp. 38. sect. 9. n. 1. s. 1.* & de voto Valquez *1. 2. q. 100. art. 9. in expositione litterar. n. 1.* & de omnibus Sanchez *lib. 1. in Dec. c. 14. n. 2. & 3. Bonacia supra.*

Sed obicitur, voto intendisti rem gratam Deo offerre, quia est actus religionis. Penitentia intendit Confessarius, ut iustificatus Deo pro peccatis: sed hæc obtineri non possunt actu vitioso. Ergo non satisfacis voto, & penitentia per actum vitiosum.

Respondetur te non satisfacere nisi intento per votum, & penitentiam, ut conuincit ob eod. satisfacere autem materia voti, & penitentia, si rem de se gratam Deo, & honestam offeras, etsi vitiatam extrinseca circumstantia: quia finis extrinseca voti, & penitentia sub votum, & penitentiam non cadit, sicut neque cadit sub lege finis extrinseca legis, aliis qui laute, & de honore in die ieiunij comedere, seruans formam statutam ab Ecclesia, non seruat ieiunium, quia non seruat finem eius extrinsecum, qui est, ratem aliqua inedia macerare: quod est omnino fallum.

PUNCTUM XIX.

Verum possis vnico actu pluribus preceptis, & obligationibus satisfacere.

- 1 Si obligationes sunt iustitiæ, non potes pluribus vnico actu satisfacere, secus si sint obligationes diuersarum virtutum.
- 2 Vovens ieiunare in Quadragesima satisfacit precepto Ecclesie & voto.
- 3 Explicatur, quando superueniens obligatio petit distinctum actum, quando cadit super debitum.
- 4 Confessarius imponens penitentiam censendus est ad actum, qui aliis obligatori non sunt, obligare, nisi contrarium explicet.
- 5 Vovens dare elemosynam, non satisfacit voto, restituens debitum.
- 6 Idem iuris est, si parentibus, & fratribus in graui necessitate subuenias.
- 7 Quid dicendum de elemosyna data extremè, vel grauius indigenti.
- 8 Probabilis est fieri satis voto, & penitentia.
- 9 Quid dicendum si actum facias, qui pluribus obligationibus seculatim tantum satisfacere potest sub distinctione respondetur.

1 Si obligationes sunt iustitiæ, certum est apud omnes vnico actu satisfieri non posse diuersis obligationibus, implicet enim rem debitam titulo iustitiæ, alio titulo iustitiæ deberi, quia si ex iustitiâ debita est, alio titulo deberi non potest, cum super eandem rem duo tituli iustitiæ cadere non possint. Ex quo fit, si debes Petro centum ex promissione acceptata, vel ex contractu, & insuper committis delictum, quo tenens centum dare Petro, non satisfacis vtrique obligationi dando centum, sed necessario debes dare ducentos.

Verum si obligationes sint diuersarum virtutum, seu ex diuersis preceptis, vnico actu pluribus obligationibus fieri potest satis: quia non implicet rem debitam vno titulo, alio diuerso deberi: non enim implicet rem debitam titulo iustitiæ, deberi etiam ex voto, & penitentia precepto, & debitam ex precepto temperantia deberi etiam ex voto. Ratio est, quia obligatio voti, penitentia, & alterius precepti possunt ex legislatoris intentione pendere que rebus iam debitis alio titulo alligari potest. At cum debitum iustitiæ ex ipsa rei natura oriatur, & in æquitate rei ad rem fundatur neque duplex obligatio iustitiæ super eandem rem cadere. Sic Medina *Cod. de satisfact. q. 4. vers. coroll. sequitur.* Th. Sanchez *lib. 3. in Dec. c. 14. n. 5.* Bonac. *disp. 1. q. 1. p. 9. n. 4.* & in hoc fecerit omnes conuenient, & nemo discrepat.

Et hæc doctrina inferitur, si voueas ieiunare in Quadragesima, satisfacere & precepto Ecclesie, & voto. Item si voueas restituere debitum, dare elemosynam indigenti, satisfacis

vnico actu duplici obligationi: fieri obligatus recitare officium diuinum ratione ordinis sacri, & beneficii, vtrique titulo satisfacit vnica recitatione, quia super eandem materiam illa duplex obligatio cecidit. Quæ omnia clara sunt, & manifestata.

3 Dubium tamen est explicare, quando de facto superueniens obligatio cadat super actum debitum, quando vero expostulet alium.

Respondetur certa regula definiti non posse, sed ex circumstantiis colligendum esse, quia ex voluntate, & intentione legislatoris pendet: si enim circumstantia denotent legislatores velle exigere actum non debitum, manebis tunc obligatus illum præstare, neque poteris actu debito satisfacere. At si circumstantia denotent contentum esse actu alius debito, satisfacis illo vtrique obligationi, & obligationi denud impostæ, & præcedenti. Sic Suarez *tom. 4. in 3. p. disput. 37. section. 6. num. 5.* Thomas Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 14. numer. 6.* Reguariter tamen, quoties distincta obligatio superuenit, distinctum actum expostulat, quia sic communiter legislatores intendunt, vt bene dicit Sanchez *supra.* Et in casu dubio sic est interpretandum, quia interpretatio fieri debet ex communiter contingentibus.

4 Ex his infero primò, Si tibi à confessario esset impostum preceptum recitandi bis calculus virgineos, & haberes votum quotidie, vel diebus festis illos recitandi, non satisfaceres precepto confessarii recitatione debita ex voto, quia confessarius nisi clare se explicet, ad rem non debitam intendit te obligare, præcipue cum obligatio illa à confessario imposta, non sit alligata dieti, sed potes, quando tibi placuerit, satisfacere. Idem est si aliqua ieiunia absolute imponeret, non satisfaceres ieiuniis ex precepto Ecclesie, aut voto debitis, quia intendit tibi obligationem imponere de re aliis non debita, vtpote maxime satisfactoria, & ita tradunt Sanchez & Suarez *supra.* Nauari. *cap. 26. num. 2. s. 1. cap. 1. in princip. num. 44. de penitentia, distinct. 6.* Azor. *tom. 1. lib. 11. c. 14. quest. 1. s. fin.* Sayrus *in clauis regia sac. rudi. lib. 6. cap. 3. num. 22.* Henriquez *lib. 5. de penitent. cap. 19. num. 5. & cap. 2. num. 3.* & alij ab eisdem relati. Verum si confessarius dicat: Singulis diebus hoc mensis audias sacrum, ex benigna interpretatione censetur Missa debita ex precepto diebus festis, contentus esse: neque enim censendus est obligare ad audiendum duplex sacrum diebus festis, quia est graue onus: quod non est credendum imposuisse, nisi manifestet, ac proinde diebus festis, vnico sacro audito, satisfacies vtrique obligationi & ita tenet Sanchez *supra. c. 14. n. 6.* Bonac. *disp. 1. de leg. q. 1. punct. 9. n. 7.*

5 Secundo infero, Si voueas dare elemosynam, vel illam ex penitentia debeas, non satisfacere dando ea, quæ debes restituere ob incertorum ablationem, quia largitio non est donatio liberalis, & consequenter neque elemosyna. Sed est solutio & restitutio debiti. Sic Sanchez *n. 6.*

6 Tertio infero cum eodem Sanchez te non satisfacere voto, vel penitentia, de danda elemosyna, si des fratribus, aut, & parentibus taliter indigentibus, vt teneas illis subuenire, quia illa non erit proprie elemosyna, sed solutio debiti legalis, ad quam per iudicem potes compelli, casu quo dices sis. Item quia non est largitio pauperi, pauper enim non est, qui ius habet postulandi alimenta, vt ex aliis probat *Surdus de aliment. tit. 7. quest. 37. a. n. 1. v. que ad 1. r.* Verum si aliis consanguineis à supra relatis elemosynam tribuas, satisfacies voto, & penitentia iunctæ, quia non teneris ex debito legali illis alimenta præbere, vt probat Mol. *na. lib. 2. de prim. og. c. 1. §. 2. num. 37.*

7 Quarto infero, quid dicendum sit de elemosyna data pauperi grauius, aut extremè indigenti: an, inquam, tali elemosyna satisfacis elemosynæ debitæ ex voto, vel penitentia? Videris quidem non satisfacere, quia illa elemosyna est debita ex precepto misericordia, sed quæ debita sunt alio precepto, non censeri vouere, neque tibi in penitentiam iniungi, nisi expimentur. Ergo. Et confirmo. Ideo prima Missa audita in die festo non satisfacis pro Missa debita ex voto, & penitentia, et si velis pro voto & penitentia applicare, quia illa Missa non creditur sub voto, & penitentia, siquidem non est in tua potestate firmum, facere, quod non sit debita, & quod illa non fiat satis precepto Ecclesie. Sed similiter non est in tua potestate facere, quod pauperi extremè, vel grauius indigenti elemosyna non debeat ex precepto misericordia. Ergo illa elemosyna non potest fieri satis elemosynæ debitæ ex voto, & penitentia. Sic Medina *Cod. de satisfact. quest. 4. Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 27. sect. 6. n. 5.* Sayrus *in clauis reg. lib. 6. c. 3. n. 22.* Palud. *4. dist. 13. q. 1. art. 2. n. 8.*

8 Verum in hoc casu probabilis censo satisfieri penitentia, & voto illa elemosyna data extremè indigenti. Sic tradit Henriquez *lib. 5. de penitent. cap. 21. num. 3. in comm. litt. Q. Azor. tom. 1. lib. 11. cap. 14. quest. 1. in fin.* Eman. Saà *sum. verbo satisfactio. dub. 9. sine.* Th. Sanchez alios referens *lib. 1. in Decalog. cap. 14. numer. 6.* Moueoz. quia non est debita illa elemosyna ex precepto misericordia absolute, sed ex suppositione, quod non possis alia via necessitati pauperis subuenire. Quod constat

DE
LA
ASTR
PALAC
TONI
LIBR
ELIBR